UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas, Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera

Busaeus, Johannes

Mogvntiæ, M. DCVI.

28. De apparit. in monte Galilææ. Matth. 28.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70978

Visual Library

ignem Spiritus ſancti, per piſcem aſſum Chriſtum paſſum in veru crucis, per panẽ verò memoriale paſſionis, id eſt, ſacram Euchariſtiã deſignari, vt tria tibi potiſſimum commendata habeas in laboribus huius maris vel mundi, primum ignẽ ſpiritus ſancti, id eſt, gratiam vel ardentẽ in pectore caritatem in Deum & proximum, in quo igne caritatis & Chriſtus paſſus eſt. 2. crebram meditationem paſſionis Chriſti, 3. ſequentem communionem Euchariſtiæ, ſi ignem illum conſeruare velis.

MEDITATIO XXVIII.

De Apparitione in monte Galilææ *Matt. 28.*

V*Ndecim diſcipuli abierunt in Galilæam in montem, vbi conſtituerat illis* Iesvs, *& videntes eum adorauerunt.* Conſidera, hanc præcipuã fuiſſe Chriſti apparitionẽ, cum Chriſtus in ea oſtẽdit, quãta ſuã paſſionẽ ſecuta ſit gloria, & potentia, arcanũ de vocatione gentiũ diſcipulis aperuit, Apoſtolos & Epiſcopos orbis eos fecit, & fũdamentũ Eccleſiæ iecit: vt diſcas, quanto gaudio ſoleat prçteritas afflictiones cõpẽſare, quas cũ Apoſtolis, p Chriſto ſuſtinueri mus. 2. nota, nos verũ ſpiritũ homines cõ-

uertendi accepturos, quãdo cũ Apoſto-
lis deſerta valle, id eſt, huius ſeculi cómo-
dis aſcenderimus montẽ perfectionis, &
ſoli Chriſto, confixi cum eo cruci, adhæſe-
rimus.

2. *Et accedens eos Ieſus dixit. Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes er-
go in totum mundum, docete omnes gentes
ſeruare mea præcepta, & baptizate, &c.* Cõ-
ſidera ſummam humilitatem Chriſti iam
glorioſi, qui cum, vt Deus omnem poten-
tiam habuiſſet ab æterno, & vt homo, à
primo momento cõceptionis datam ha-
buiſſet, tamen ita loquitur acſi poſt reſur-
rectionem prius accepiſſet, ad confuſionẽ
noſtram, qui in omnibus rebus gloriam &
honorem noſtrum quærimus, & dona no-
bis, nõ auctori Deo aſcribimus. 2. Cõſide-
ra, quantũ gaudiũ obortũ ſit in Apoſtolo-
rũ animis, cum primũ intelligerent Chri-
ſto tantam potentiam poſt paſſionẽ & re-
ſurrectionem contigiſſe, vt non ſolum ab
omnibus huius vitæ infirmitatibus & in-
cõmodis eſſet liber; ſed tantus cœli & ter-
ræ Dominus, vt & opitulari eis poſſit de-
inceps in terra & in cœlo regnum æter-
num conferre, deinde cum audirent ſibi etiam
candẽ quadantenus poteſtatem conferri,

vt nimirum toto orbe liceret Euangeliũ prędicare, peccata remittere, & omnes homines ad ſalutẽ adducere. 3. nota eos non ad quietẽ, ſed ad magnos labores vocari. 3.

Qui crediderunt, in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquẽtur nouis, ſerpentes tollent, ægros curabunt. Et ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Conſidera, illud eſſe veræ fidei viuæ per caritatem operantis argumentum, ſi zelũ proximos iuuandi habeamus, vt ſi efficiamus, vt dæmonia eiiciant, id eſt, peccata per confeſſionem euomant, ſi ea loquamur quę gloriam Dei & ſalutem animarum promoueant, ſi dolos & fraudes ſerpentinas mundi auerſemur, ſi vacillantes in via fidei vel vitæ ſanctæ monitis noſtris reducamus, ſi in perſecutionibus cõſtantes in pietate permaneamus fiducia omni coniecta in Deũ, qui fidem ſuam non fallet, cũ hic promittat ſe nobiſcum futurum & quidẽ nõ ſerò ſed opportunè *Ecce* enim prę ſẽs & opportunum deſignat tempus, q. d. quoties opus erit adero. *Ego* autẽ ſignificat eum, qui ex omnibus periculis liberare queat; ego ſcilicet, qui principem huius mundi, mortẽ & mundum totum iam expugnaui.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN